



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rervm
Christianarvm Memoria, Libri X**

Haimo <Halberstadensis>

Helmestadi[i], 1671

Cap. IX. De Archelao Filio Herodis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10968

4 HAYMONIS HISTORIÆ

Idem in eodem Lib. Visum est autem medicis, ut oleo calido fomentaretur, cumque in ipso fomento depositus esset, ita resolutus est omnibus membris, ut oculi etiam ipsiè suis sedibus solverentur.

C A P. VII.

De execrabilis nequitia ejus in morte perpetrata.

EX hinc fertur jam desperans in facinus execrabile. Nam accersitos ad se ex omni Iudæa nobiles, & in loco, qui dicitur *Hippodromus*, reclusos, in hora mortis suæ interfici jubet, in hoc ipsum militibus præparatis & pretio conductis, ut sic saltē lugubres haberet exequias. Sciebat enim Iudæos de sua morte galvisuros.

C A P. IIX.

Quod tres filios occidit, & seipsum interfecit.

Qui paulò antequam moreretur, post duos jam necatos filios, tertium filium jugulari præcepit. Impius parricida, cum jam exitum vitæ adesse sensisset, malo accepto, cultrum poposcit. Solebat enim sic per semetipsum purgatum pomum atque incisum edere. Tunc circumspectans, ne quis esset qui eum prohiberet, elevavit dextram & in semetipsum vibravit ictum. Hic autem Herodis extitit finis.

C A P. IX.

De Archelao Filio Herodis.

POst hunc regnavit *Archelaus*, patre suo *Herode*, & Cæsare Augusto adjudicantibus: quo post decem annos

ECCLESIAE LIB. I.

anno propter insolentiam devoluto, regnum dividi-
tur in Tetrarchias, *Herodi* juniori fratri, cum Philip-
po, & cum Lisania

C A P. X.

De Herode Filio Herodis.

Hic autem *Herodes minor*, brevi interjecto tempore, *Ioannem Baptistam* capite punit, virum valde bonum, qui præcipiebat Iudeis virtuti operam dare, justitiam inter se custodire, & in Deum servare pietatem, per baptisma in unum convenire, tamen ad abluenda peccata, quam ad castimoniam corporis & animæ servandam.

C A P. XI.

Cur Ioannem baptistam interfecit.

Hunc, inquam, capite punit, pro eo quod objurgabatur ab eo de *Herodiade*, quam abstulerat fra-
tri suo *Philippo*, legitima uxore depulsa, & quia vere-
batur propter doctrinam ejus plurimos à suo regno
discedere. Solâ hac igitur suspicione *Herodis*, & ob-
jurgatione, vincitus in castellum Macheronta *Ioannes*
abducitur, ibique capite obtruncatur.

C A P. XII.

De Domino Salvatore nostro.

PEr idem tempus Evangelicam latè seminat præ-
dicationem Dominus *Iesus*, & duodecim ex omni-
bus elit, quos præferens sectatoribus suis, speciali-
ter *Apostolos* nominat. Post hos LXXII. elegit discipu-

A 3

los.